

riam, qua illud sibi sumeret, ut Deo in rebus omnibus quantum facere, enitiq; posset, aduersaretur.

Nec verò vnus est eius generis genius, sed permagna multitudo, quorum caput princepsq; est Satanias: si quidem ex viro quodam in Gadarenorum agro vnā demoniorum legionem eiectam fuisse literis proditum est, ideoq; dicitur æternus ignis Diabolo Angelisque eius paratus fuisse. *Luc. 8. Matth. 25.*

Esse autem Satanam veteratorem maximū, immanissimumque humani generis hostem, clarius est in sacris literis, quā ut demonstratione indigere vlla videatur. Ex quo illud facile efficitur quod initio diximus, quicquid est eiusmodi, ut si id fecerint, dixerint, cogitauerint homines, ad eius conatus cōferre aliquid possit, id ut fiat, dicatur, cogiteturq; eum semper conaturum. Ac tamen si eius rei gratia cum hominum animis negocium ei sit oportet, ut fucum faciat, ut illudat, ut persuadeat, ut inflāmet, ut spe, timoreque afficiat, quo pacto hæc ille faciat, nō est instituti nostri subtilius philosophari. Illud constat eū impellere homines, ut ea faciant, quæ ipse cupit, nemini parcere, nemine esse à quo ille sibi timeat, aut quē vereatur, quantacunq; sit vel sapientia, vel sanctitate, vel authoritate, quippe q ne ipsum quidē Dei filiū aggredi dubitauerit. Neq; verò quos pertentat, sic aggreditur omnes, im-